



UNIVERSITY OF CAMBRIDGE

14081

III Mag. St. Dr. P

as Sibos

Mathiae Pauli Eclipsis funesta

Chelmsceianae lunae.

PANEG. et VITAE

Polon. Fol.

N^o. 125.

(1)

... ..

... ..

ECLIPSIS
FUNESTA,
CHEŁMSCIANÆ LUNÆ

Geminum Gentilitium vultum
tenebris lethalibus involvens;

Posito inter Eam, & ILLUSTRISSIMÆ PROSAPIÆ
oculos, corpore defuncti olim

Illustris, & Magnifici Domini,

D. ANDREÆ
SCIBORII

DE CHEŁM

CHEŁMSKI,

VEXILLIFERI SANDOMIRIENSIS,
TRIBUNI MILITUM S. REGIÆ MAJEST.

FACTA,

140217

^{& A}
M. MATHIA PAULO CELEIOWICZ,
Philosophiæ Doctore, Pœseos Professore Novodvorsciano,

pennâ lugubri

Orbi Polono

DEMONSTRATA.

Anno ab Eclipsi Orbis per Justitiæ Solem
sublata 1698. Die 13. Januarij.

CRACOVIAE, TYPIS VNIVERSITATIS.



Agunt opus suum fata: nobis sensum no-
stræ necis auferunt: quòque faciliùs
obrepant, sub ipso vitæ nomine latent.

Seneca in Consolatione ad Marciam.

*Heu mortem invisam! qua sic communia toti
Genti scepra tenens, aeternaq; federa servans
Sic magnos paruosq; teris, qua fortibus equas
Imbelles; populisq; Duces; seniumq; irventa.*

Maphæus Vegius.

— *Mors certa facit, pauido fortiq; cadendum est.*
Lucanus lib. 9.

- - - - *mors ultima pana est,*
Nec metuenda viris. - - - Idem lib. 8.



ILLVSTRISSIMO,
ET MAGNIFICO DOMINO,

D. MARTIANO
SCIBORIO

DE CHELM,
Castrorum Regni METATORI:

Magnifico ac Generoso Domino,

D. ALEXANDRO
SCIBORIO

DE CHELM,
COHORTIS ANTESIGNANO,
GERMANIS;

Magnifico ac Generoso Domino,

D. ANDREÆ
SCIBORIO,

EX PATRUO FRATRI,

CHELMSCIIIS:

Dominis, & Patronis Amplissimis.



Unestam geminæ Vestræ Cyn-
thiæ Eclipsim, optatissimi FRATRIS
corpore obumbratæ, squallentibus o-
culis Vestris subijcio, ILLUSTRISSIMI,
& MAGNIFICI DOMINI. Quippe ma-
teria Vestri doloris, quam pectore pleno geritis,
etiam

etiam minùs comptâ pennâ adumbratas LUNA S
totas squallentes efficere potest. Quanquam enim
Hectoris unius iactura Iliò toti, Priamo tamen Pa-
ridi q; copiosiores exprimit lacrymas; sic commu-
ne quidem Patriæ damnum ANDREAS, etsi com-
munibus lacrymis ploratur, maximè tamen Ve-
stris; in quorum cordibus infida Libitinæ manus
Gentilitio MUCRONE plagas aperuit. Totam cer-
tè Orbis Poloni faciem tantorum defectus Astro-
rum in tristem squallorem & amaros planctus euo-
cat, tam æquè omnibus sese communicans, quàm
in alto meritorum Illustris Prosapiæ Vestræ cœlo
apparet: Vobis tamen maximum luctum exprimit,
qui lucis & pectoris dimidium amisistis. Amaritu-
dini itaq; lamenti Vestri fidelis obsequij alumna
Musa mea sese immiscens, quanquam singultibus
impeditur, tamen in mœsti solatium doloris à cœ-
lis deprecatur: ut hodie faciem velatæ LUNÆ
seræ posteritati luceant immortales. Ita ex animo
vovet.

Illustriss: & Magnificarum Domi-
nationum Vestrarum,

Devotissimus Clientis,

M. MATHIAS PAVLVS CELEIOWICZ,
Phil: Doct: Póeseos Professor:

ECLIPSIS FUNESTA,

Inevitabilis fatorum furor,
nunquam nocentiùs in homines furit,
quam; dum sæuæ spiculo mortis, in urnam cogit.

Sortes si recipit, nocet minimùm:

Quippe inter aduersa medela facilis.

*Prudens animus, si fortunâ caret, fortunam simulare potest,
& in ruentium grandine periculorum, etiam grande caput
inuenit, quò se inclinex; in tutumq; recipiat.*

sola deest scientia, qua fato resistat.

Parum est, si vrbibus, si Regnis, vim fata ferant;
Nam demolitæ vrbes est vnde reparentur, & ad pristinum
redeant nitorem; mortalibus à morte reditus negatur.
Numantiæ Corinthiq; cineres non sine commodo superfuere,
hominum cadauera, commodo procul terra depalcitur.

Quicquid vsquam cecidit, vel ruderibus ipsis profuit;
hominum sola est conditio, post fata putere.

Non Sceptra Numinum terræ decus
huic necessitati fors exemit;

Vniuersi in lethum trahimur,
cuius crudelitatem equalitas solatur.

Vbiq; oculi fletibus exhauriuntur, & vbiq; est,
quod fluat; quod stillat.

Quippe novus vbiq; squallor novas lacrymas affundit.

O rem atrocem!

rem diram! rem asperam! fata!

Squallentis palpebræ copioso rori innatant,
& graui ferro grauiùs feriunt.

Quid non hostile contorquent?

quibus non Hector, nonue Achilles resistere sufficiunt:

A

inueni-

inueniunt in corda viam, & tacitam Deorum opem eludunt.

Etiā aduersum fortunæ fauores decertant :

Quippe, quos illa in multa luce posuit,
eos in atram noctem impellunt.

Vigiliæ Regum, Regna defendunt,
eos tamen lethi acerbæ necessitas æterna in somnia vrget.

Si carcerem animæ corpus cælum indulsit ?
cur auidis mali huius mortalibus tormenta fatum negat ?
cur æthereum hunc spiritum graui doloris impendio ex ergastulo eripit.

Ita certè :

Sæua Libytinæ rabies fallacem fucum mentitur,
sub quo, latentia terræ decora, desiderata humani generis delicia
ad leges ineluctabiles vocat :

si querimur, insultat ; si lamentamur, tripudiat ;
& iustas querimonias repanda falce vindicat.

Parua hæc essent, ni maiora suo nisu auderet.

Terris exosum portentum terras deserit,

Proh dolor !

Vltra nihil obuium furori suo habens
in sidera furit :

Cæca vesania monstri lunam præterijt, dum luna cælo
in Carizæ montem ad carum Endymiona delaberetur

Hodie, dum in altum tetendit,
ausu nefando ad eam manum extendit.

Heu infestas sorti nostræ vices
quæ astra vincitis !

Orbæ fortè Parcarum dextra capiti non pepercere,
falceq; deficiente mucronem vibrârunt,
eumq; latente manu triumphum patefecere;
in quo vnus cecidit, multi dolemus:

quodue atrocius, dum lapsus est, LVNA laborat,
& seruata luce humentes tenebras effundit.

Nimirum,

geminum inter Latoniæ Iubar,
proflu-

profluentesq; aspectus sæua Lachesis
crudeli ferro stratum opponit corpus Tuum

Illustris, & Magnifice Domine,

D. ANDREA CHEŁMSKI,
Vexillifer Sandomiriensis, Tribune Militũ S. R. M.

Illam nobis Phæben extinguis,
quæ Phæbô clariùs in Regno nitens
innumeris lustris Patriam illustrat.

ODRIZIVM spectrum luce natiua tenuat,
& se cunctis plenam explicat:
quæ crescentibus

Domũs Chelmscianæ viris

lumine suo crescit,

& quod decus mucrone quæsisset, mucronis sociũ fulgur habet.

At præceps fatorum sæuities!

authorem fatorum ensẽ ad luctum funebrem vibrauit,
& flebili Patriæ seculo, fletum ictu nefando expressit.

Poteras Vexilla ferens

à iuventa Tua sub vexillo discordis Bellonæ colla cædere,
contra vim rapacis fati nihil poteras.

Ita certè,

vis immensa etiam quo defendimur telo offendit:

Martius ille spiritus, totus Marti deuotissimus,
hostium terror, in hostiam abiit.

Cælò crederem pulsam concordiam.

Quippe, quem Lucina Parens Gradiuo fouit,
hodie Libytinæ in victimam cedenti parentamus.

Facere & spectare mortes natus,
de se mortis spectaculum efficit.

Tempore, quo oculum in solem, eo in arma vibrauit,
vt non colubros ad cunas, vt Alcides,

sed anceps ferrum, prodigio nouo, Ipse prodigium inueniret.

Taceat Roma suos bellatores,
qui iam cum encomio iacent.

Miraculum Urbis Cocles, quanquam insertus fastis, fabula est;
Hostium ille furori cedens per Tiberim ferrum tenuit,
Bellator noster ANDREAS, nobile ferrum nunquam sine triumpho
in medios hostes intulit.

Etiam feminae Clæliae facilis per Patrium flumen est fuga,
sed integrum pectus opposuisse, integer triumphus est.

Mutij Scæuolæ facilis de se victoria,
Nostri de alijs.

Errantem manum flammis vssisse, quid est?

Sed hostium excessus, flammis vsto ferro flagellare,
gloriam auget, Patriæ proficit, sortis miraculum est.

*In fuga, fortuna vincit, virtus in acie;
& in extremo discrimine, etiam timidum pectus
forte desperatio efficit,
vt indulgentiam inueniat.*

*At nasci moriq; cum gladio, post fata in vultu relinquere minas,
invictum censetur.*

*Quippe in ipsa fortium morte, ira vivit,
quam Patriæ amor, & gloria cupido peperere.*

Herculem credidisses, quem quasi ab angue Lernæo millena
hostium capita è cruore suo renascentia, minimè terrebant,

sed ita magnitudo periculi invitabat,
vt æstate omni Bellonæ cruentæ messor in campum descenderet.

Sic periculosis laboribus auctum corpus, magis nihil,
quàm periculum temnebat.

Namq; heroica virtus discriminibus pascitur,

& viros armatos occupans, in tela minantia vocat.

Iuvenile ANDREÆ corpus viriles semper lacertos exhibuit,
in hoc animum intendens;

vt, si viuis excederet, viuam semper sui nominis famam linqueret.

Volucres Getæ

ad arctum gelidam Illius perennem famam tulere,

Quos, quoties inter arma vidit, cæcidit;

& illata Patriæ detrimenta illorum interitu rependit:

Ita fortes viri, etiam auras insequuntur,

& sciunt quâ perant volantem.

Facile

*Facile inuictò vincitur,
quem timidus alongè triumphantem miratur.*

Illius Lunæ Odrizia sese multoties iunxit,
sed tam improspero euentu, quàm facili clade.
Quippe gemina sua Phæbe, cùm loco non cederet,
barbara in ensem impegit,
& pallore suo cruoris Othomanici diluuium ritè præfagijt;
quia certò rubens spectauit.

Non itaq; mortuum miramur, sed dolemus.
Capax mortis erat, quia serie longa mortes numerauit.

sed auget immanem vim doloris
fatorum asperitas :

Vbi cælumq; terramq; Mars solus habet,
quà per vulnera & sanguinem ad gloriam itur,
Bellonæ furor bellatori pepercit :
dum quiescens senecta in quietem inuictum heroa composuit,
genitrices infiniti somni Parcæ
somnia sepeliuere.

Elegisset à telis prosterni,

cui tela amoris fuere :

Tristiùs tulit Lacheseos crudelitatem, quàm ferebat fulmina belli.

Fortibus enim durissimum est,

sub percussore mori.

At egisti minore impendio doloris, o dolenda manus !
dum amicorum consortio, imò manibus

ANDREAM eripuisti :

Tristiora fecisset Mauors,

qui viris belluas, & equitibus equos confundens,

fletibus corpora abluere negat,

Qui Præficas vt lugeant, non præficit.

Nec adeò sæuè lacrymis indulgemus,
vt oculos amittamus.

Tristentur, quibus peiora imminent, quàm transiere.

Natura omnes ad vnum finem reuocat,

non omnes eadem reliquisse tripudiat :

B

si do-

*si dolori finem communis afflictio non faciet,
facient emortui merita :*

Prudentia Viri ita est omnia moderata,
vt omnibus modum admirabili ratione posuerit.

*Nouerat, quantum tristitia rabies in pectora possit,
qua, quanquam gaudio decertat,
gaudio tamen longior esse solet.*

Itaq; vt moerorem lenire an temperare posset,
immortalia facta reliquit;
quorum longior esse memoria solet, quam presentia.

Exhibuit rebus afflictis modum, dum viueret;
qui semper aduersæ forti fortis obstitit,
in prospera aduersam non desperauit.

Nempe,

eandem ratus esse manum in palma, qua superest in pugno :

nec temere casuum incerta reputauit,
quia nunquam à fortuna est deceptus ;
*qua non viribus, non telis, profligatur;
sed vite felicitis temperamentò, prudentiâ :*

*auro non frangitur, quia tota aurea;
minace supercilio non terretur, quia ipsa supercilio
& mulcet, & terret.*

Ianus sit necessum,

à fronte & tergo pupillas gerat, qui se sorti certaturum sperat.

Ea nunc in nos tela vibrauit, sed communis ;
quia singulare nihil perpetravit.

Eripuit nobis omni expectatione dulciorem,
sed eo itinere dimisit,

in cuius Ipse procinctu steterat, dum ad vitam destinaretur.

Innumeris triumphis nobiles
huic triumpho materiem præstant.

*Regna cum Regibus, cum populis imperia,
nobilis pompa fati suere.*

Sed potuisti ô mors!

ibi temperare manus, non temerare;
vbi temperantiæ sedes & Augustale fuit.

Existi-

Existimas te parte ea offendisse, quâ prodes ?

*gratissimum fulmen præcipit àsti,
pro quo percussus præmia referret,
ni iucundius quidquam nactus esset, quàm amisit.*

Nimirum, percussu tuo in cælum impulsus,
ubi tranquilla sidera lapsu temperato voluuntur;
vnde promanat, quicquid mortalitas boni experitur.
Debetur quippe superis, qui nihil superis incongruum egit;
quem Iustitiâ Duce, comes clementia vestigabat:
vt pari timore & amore conspicuus incederet.

Nam fortitudinis Iustitia, charitatis clementia genitrix est.

Non adeò seueritas vincere,
quàm animos vincere clementia potest;
vtpote quæ armata & secura dormit,
amoris tela circum se habens.

*si ubiq; reperias qui Diuûm honorem vindicet,
ubiq; est, qui clementem defendat:*
eum maximè, qui non fallacibus verbis aures verberat,
& assensus humanos captat, dum inania iactat;
sed quem fama perennis per àera ferens,
hominum linguis inserit.

Meliùs utiq; in sole nitet, quod domi conditum latet.
Nam splendidissima quaq; à contactu dedecus referunt.
Enimvero, facile flumina crescunt, calo spargente nimbos;
*sic virtutes astris micant splendidius,
si splendorem ab Atavis deducunt.*

Facile cuiq; æmulus est,
qui de gente sua recenset Æmilianos:
& lepida cuiusq; historia Lepidis Parentibus orti.
Cælis enim fulgentibus, lux quantacunq; clarescit.

**ILLVSTRIS & MAGNIFICVS DOMINVS
ANDREAS Scibor CHEŁMSKI.**

Vexillifer Sandomiriensis, Tribunus militũ S.R.M.
geminæ Phæbes lucem Phæbo nitidiorem exhibuit,
quia innumeros antehac luce simili coruscōs Antecessores habuit.

Si fastos Polonia lustramus,

*ab hac Luna proiectus fulgor Poloniam illustrans,
pupillam perstringit.*

In qua visuntur Senatorum subsellia, fulgent trabæ purpuratæ,
Sagum Gradiui micat ignibus;
& immensum Poloniæ cælum offundendo,
non iam Cynthiæ nitentis iubar,
sed forma veriore,
varijs ignibus Iridem coruscant efficiunt.
*Et cum, calis vetustas non obsit,
tanta nunc claritudine nitentibus, quantam sub primum sui
exortum tenuere:*

LVNÆ CHEŁMSCIORVM

cum Regno Sarmatico ortæ,
quia cum Lecho ex Croatia & Bohemia,
in campos Poloniæ descendentes,
quam spargunt, eam adverxere lucem.

Quippe minui nescit, quod aeternum est.

Loquatur secutura posteritas OSTOIOS, SCIBORIOS,

Qui Illis exordia & incrementa lucis dedere:

Me in funesta sua Eclipsi squallorem sequi decet,
& brevitatem pennæ dolorem temperare.

At mœstissima Clio, nequaquam præteri, quod nunquam tacendum
gloria inferit.

Si taces SCIBORIOS, Præfules & Senatores,
quos ævum suum coluit:

tres ANTISTITES PLOCENSES
intaminata veste fulgentes,

PROCOPIVM CHEŁMSKI,

Vladislaviensem Episcopum,

SCIBORIVM,

sub

LVDOVICO

Poloniæ & Hungariæ Rege

Martis vices ludentem,

Supremum Exercituum Ducem,

Si præ-

Si præteris SCIBORIUM CHELSKI,

Præfectum Maioris Poloniæ;

quiencomio maior Patriam gloriâ nominis
implevit & illustravit :

Mirare saltē MARTIANVM SCIBORIVM CHELSKI,

Vexilliferum Cracoviensem,

Quem genuinum Martis filium Patria dignè satis non est mirata.

Qui virtutum famulatio circumsitus, memoriam omnem superavit,

Qui quos vixit annos, non sibi adnotavit, at cunctos commodo

Patriæ filius amantissimus impendit ;

boni publici amantior, quàm sui.

In eo Civis speculum & heros spectavit,

quum consilij gravioris documentò, gravem Patriæ
incumbentium periculorum molem tollere & tollerare doceret,

sævam Bellonæ insaniam consilij plenis viribus castigare ;

vtrinq; egregium decus cumulare.

Ille, ut tantò magis Lunarum splendorem augetet,

lumen copulavit,

Illustrem ODROV&ZIORVM Profapiam sibi associando.

Ecce geminatus splendor eminuit :

quando Philippo hoc & Olympiade magnus prodiit Alexander,

MARTIANVS Scibor CHELSKI,

Succamerarius Gener: Palat: Crac: Bochnensis, Vielciensis, Ry-

czyuolen: Ustien: Capitaneus, S. R. M. Secretarius.

Hic Lunas Gentilitias, Lumini Odrovaziorum iunctas
in immensum extendit, vt ultra Patriæ sphaeras micaret,

E Principe Regni Schola, Alma Academia Cracoviensi,

quantam iuvenis serenitatem in exteras devexit,

extorris Mavors testatur.

Ad Pedemontium pede immoto hæere nequivit,

at concursantibus cum Ithalia Gallis,

ignota bella nosse Polonos monstravit.

Ita certè, in forti Minerva non sterilescit,

nec otium vitij Matrem amat, sed se casside armat.

Dum Patriæ vultum lumenq; suum referret,

super contiguo cælo Lunam alteram non est passus,

sed contra Amuratem in Hungariam, sub

RVDOLPHO SECVNDO,
Gentilitium Mucronem tulit.

Enimvero, *honoris ardor filius emori nescit,*
tandiu ardens, quamdiu facem aduersam scintillare videt;
toties vires sumens, quoties ferro foditur.

Namq̄, honor periculosus gaudens, filio pericula linquit.
Ille contra Machometem ad Angriam, Atuanum, & Iaurinum
cum ala equitum armaturæ grauioris proprijs stipendijs
seruatorū, MARTIANVM Marti deditū aliquot annis tenuit.

Effusum extra lumen domi minimè imminuit,

Augustissimo semper Augusti Regis
SIGISMVNDI III.

pectori æquè gratus ac probatus,
annis triginta togato obsequio carissimus;
pro quo in Prussia inter hostium strages equo amisso,
materiem merendi non amisit.

Post, perpetuus terrestris Nuntius, nihil non pro terra Patria egit;
penè in sinu Themidos Tribunalitiæ Regni
iustissimum cum vita caput deposuit.

Germano Sanguine prodeuntia bina Poloni poli sidera

Fratres Illius

NICOLAVS & STANISLAVS
CHELMSCII,

æquè Catones ac Scipiones,

dum merita in Patriam funderent, nobiles animas effudere:
quorum tamen immortalis memoria vita breuitatem compensat.

Nimirum, nouus cum Castore Pollux cum fratre vitam mutarunt:
cū; vt Hic terris luceret, Illi vultus condidere.

Et certè, alterno reditu in terris lumina micant.

Post decessum horum,

Gratia supernis è sedibus in terras delapsa, quia

IOANNES STEPHANVS
CHELMSKI,

Gradi-

Gradivi & fragor & fortuna ;
dignus, cui orbem Rege Regnum coronam custodiae daret ;
Quem, vigilem pro Patria Leonē, noctis moderatrice Lunā conspicuū
vota communia constituerent,

& post sanctæ memoriæ fata Principis multo fortunatissimi,

SIGISMUNDI III,

meliore fato, an voto,

Palatinatus Cracovien: Rothmagistrum crearent.

Ille recti Magister,

ne licentiæ aduersi quidquam liceret, præcipere ;

vt Procerum animi Regni animam,

Principem fortem eligerent, providere ;

voluit, & valuit.

Ecce fideli hoc libertatis Polonæ defensore

Iubar novum aureum,

Lux immensa, & decus altum ;

Serenissimus & Inviētissimus

VLADISLAVS IV,

dum in throno Regali eburneum lumen panderet,

in virtutis elogium

STEPHANVM CHEŁMSKI,

Camerarium suum elegit.

Thesaurus Ille virtutum fuit,

cui Regij thesauri sunt crediti ;

lydius probitatis lapis,

cui, plus quam Lydæ pondera, gazæ ad manum fides posuit.

sed cuncta hæc terrarum Lumina seu Numina

fati iniquitas inquinavit ;

serie multa succedentes,

pari fortitudine ac fortunâ viros mulctavit.

Illorum fausta nomina fasti nominent,

qui gloriæ plenitudine historias implerunt,

& magnitudine gestorum encomium omne superârunt.

Age tamen, & aude

o negotij formidandi alumna Clio !

memoriæ commenda, qui sibi memoriam perennem creavit ;
vel vnum de innumeris

CHRISTOPHORVM CHEŁMSKI,

ANDREÆ optatissimi cui hodie parentamus
Avum, gratissimum omne per ævum :

*in Quem quicquid vsquam Minerua minutim locavit,
aut Bellona bellè diuisit ;*

Astræ dignum astris perfecit,

*aut nouena Sororum cohors noui scientiarum generis intulit,
miro cum fortunarum consfluxu congestum.*

Cuncta è fronte fortunæ sudantis venientia

fluxa & caduca percensens,

non mercede pretioq; victus,

castra sequi, & hostem vincere didicit,

fortisq; videri, solâ bellorum placentiâ :

omnem umbram pro libertatis nomine insequi & persequi eligēs,

iugi impatiens heros, sæva regna exosus ;

ferreus in ferrum illabi maluit,

quàm otio deside teneri.

Si terræ propiorem æthera hostilia fulmina incenderent,
in flammæ & ignes medios ruere, & torreri paratus.

Dedit ne quieti locum

etiam inter lassos componentem lacertos quietem ?

minime:

At dedit immortalis gloriæ authoramento,
authorem gloriæ non exiguum

IOANNEM Scibor CHEŁMSKI,

Venatorem Cracoviensem,

Filium æquè sibi ac Patriæ dilectissimum ;

cui Patribus soliti cum Marte lusere sales,

solam pupillæ suæ lucem Gradivi flammam censenti:

*Quem non accepisse superbos Prosapia suæ titulos
sed auxisse iuuit.*

Vtpote, qui à Maioribus sumptam lucem,
& ipse meritis coruscus, & inlyto filiorum numero,

binum

binum GENTILITIAE LVNÆ vultum adauxit.

Ille certè:

quaternum fulgur Natorum ardente sereno micans
Orbi exposuit;

Ille tutelam & Splendorem Patriæ dedit.

Quid SCIBORIUS Ille CHELMSKI,

Subdapifer Cracoviensis?

nisi lumen, nisi fortitudo fuit:

Quid SAMVEL CHELMSKI?

nisi ardor, nisi serenitas,

Qui immotum medios inter exercitus stare scelus reputans,

circùm hostium tela, nullo metu malorum,

nullam metam virtuti existere monstrans,

fulmen Gradini non pavens, ad fulmen acceleravit;

lethiq; minas non formidavit, sed inuitavit.

Nimirum, pro bono communi ardens Curtius,

à Patria vitam acceptam Patriæ in victimam obtulit,

& in prælio Budziacensi vultum cum splendore condidit.

Viuit tamen sua post fata Phænix,

in Sapientiæ Corculo,

virorum amulsi & amore,

in Idea Civis zelo Patriæ ardentis,

verè Lunâ in plenilunio lucente;

ILLVSTRISSIMO & MAGNIFICO DOMINO,

D. MARTAINO Scibor CHELMSKI,

Castrorum Regni Metatore,

quem Regum Augustus amor circumstat;

Qui magnus semper pro bono publico Zelotes,

vel ad præsens etiam

animi celsitudinem ingentis explicat,

dum concordibus votis

post Magni decessum Bellatoris,

Serenissimi & Inuictissimi

I O A N N I S III,

D

Ad

ad tollendum in Solium Regale,
Augustissimum semper
A V G V S T V M II,

hodie Sceptra Patriæ feliciter regentem
præluxit, præluetq;

dum primus ad salutandum consulendumq; in comitijs
Regni generalibus Legatus, votò Patriæ electus,
plausu maximo res afflictas tuetur, & defendit.

Iactavit Macedonia Alexandrum,

sed gentis opprobrio, non gloriæ;
quem penes erat, orbem prædari,
non præliari; non Patriam tueri.

Iustius

Magnificus ac ac Generosus D.
ALEXANDER Scibor CHEMLSKI,

Cohortis Antesignanus
gloriæ suæ militat,

vt potè qui à Vieniensi plus quàm gloriosâ victoria
nulli Poloni Martis negotio non interest.

Non veretur desidum improperia,
qui arma artem moriendi finxere,

& adorare Martem non adoriri elegerunt:

vsq; adeo Illi maximus feruor est, ferrum,
vt crescant cum annis merita, cum meritis immortalitas.

Namq; contemnit mortem, quando pericula;
amat perennitatem, quando gloriam.

Magnificum ac Genorosum D.
D. ANDREAM CHELMSKI,

nequaquam penna leuis prætervolabit,
quem fama volans pennâ metuente tangi
super æthera tollit.

Nihil ille non inglorium & cedro indignum efficit,
semper gloriam, virtutis pedissequam & mercedem meretur;
cuius tam perplexa encomia sunt,

quàm

quàm qui maxima gessit.

*Quippe virtutes quas encomia sequuntur
superat & antecellit.*

Illius animi & magnitudo & excellentia detrectat,
quæ quisq; tractare & exhibere vellet,
sed conficit, quæ conari vix quisquam audeat.

*Nempe immensa claritudo latere nescit,
cui magnitudinem multitudo luminum adauget.*

Micant ij velut accensum in nubibus fulgur,
quibus exordia lucis sunt,
& quod à tergo positum, tetrum squalidumq; cernitur.

*Non sinuant nec extinguunt lucem,
qui velut inextincta luminaria
multis à seculis seruatam lucē cōtinuo luminū accessu extenuant.*

Splendent citra CHELMSCIANAS LUNAS

intaminato candore fulgentes Fasciæ, micant
LASCIORUM, NIEDZWIECCIORUM, MIKOŁAYSCIORUM, PO-
DŁODOWSCIORUM, BONARORUM, KOCHANOWSCIORUM, GA-
WORKOWIORUM, ŻŁOTNICCIORUM, ŻEŁENSCIORUM, XIĘ-
SCIORUM, CHRZASTOWSCIORUM, TURSCIORUM, PAWŁO-
WSCIORUM, ROZNOWIORUM, SZAFRANCIORUM, &c. &c.

immensa decora, & illustres splendores:
quos vniuersos ictu lethi prostratus eheu!

A N D R E A S

eclipsat, & extinguit.

O seculorum delicium! flos, & expectatio summa!

Gethis asperis & barbaro Chmielniccio
Pilauecensi Zbarauensiq; prælio, prædam non concessisti,
hodie truci Libytina in prædam cedis.

Terribiles ad Zwaniec ludos libens lusisti?
hodie fatorum lusus & pila iactaris:

Ad Słobodyzyczne, iam penè amissam vexillum Tuum
illæsum castris retulisti,

hodie sub Lacheseos calyptra amissus lugeris.

Idem vexillum ad Czudnouiam magnò miraculò,
miraculum Ipse cum iactura quadraginta & vnius Commilitonū,
octodecim actibus læsum extulisti,

hodie cum tristi urna percussus efferris.

Etiam præterlabens Tyras',
immortalis Victoriæ Tuæ characteres deportat, quos
cum totum illabentium Scytharum agmen mira arte,
& stratagemmate strauisti & repressisti,
perennibus cedris insculpisti.

Nouerat Ocellus Regum,
Seculorum labor, temporum industria,
IOANNES III,

Lunæ Tuæ nitidum splendorem,
dum ibidem cæcæ tenebris noctis inuolutus,
ductu & auspicio Tuo
ad Phosphori usq; exortum securus graderetur.
Non itaq; sola duntaxat aurora solem restituit,
quando niuea Tua Luna,
Patriæ Patrem, cælo Polono Phæbum reduxerat.
Nouerat Hungaria Illius nitorem,
quando luctuoso illo Parcanensi certamine,
depulsi exercitûs latus
illæsè, tenuisti tuitusq; es.

Quò tamen sæua Atropos exilem dextram tetendisti!
O inimicum amicis portentum!

si tetigisti illos,
qui dolorem premere an simulare possunt,
Eam,

Quæ luctibus modum statuere nequit tangere non debebas,
Consortem dulcissimam, blandi Hymenæi speculum & gloriã,
Illustrem & Magnificam Dominam,

MARIANNAM ELEONORAM
de Biegánow CHELMSKA,

Quæ in carissimi & expectatissimi ANDREÆ cõnubia cõsensit,
Muliebri equidem cordi tam lethales plagas inflixisti,
vt ne curari quidem, sed tangi etiam fuerint impatientes.

Cerne ô sæua tyrannis!
si quis Tibi sensus superest,

immu-

immutabilem in corde Illius amorem superesse.
sequitur angusta conclusum in urna,
cum tota Illustri Profapia,
& pallentem artus lacrymis abluit:
equidem semper beatum,
quia in Beatissimæ Virginis MARIÆ amplexus cedentem.
Quis dubitet
mediã semper virtutũ lucem LVNAS CHELMSCIANAS fudisse?
dum in medio Metropoleos Lechiæ eclipsantur.
*Quisquis defectum earum non concipis,
lacrymas conspice:
in lymphis utiq; labor astrorum veriũs apparet:
quas nobis verus dolor eò copiosius affundit,
quò gravius pectora tundit.*
Illius magnitudine concussa Clio fatetur,
fata omnia posse, omnia finire;
dumq; Cynthiæ lucem, Illa verba condit:
hoc tamen repetita voce intonabit,
quòd meritorum gloriã,
virtutum candore,
rectefactorum memoriã perenni
mortalem sarcinam deponens
A N D R E A S,
æternũm viuet
I M M O R T A L I S.

**WIELMOZNET IERMOSCI PANIET,
P. MARYANNIE ELEONORZE**

Z BIEGANOWA

C H E Ł M S K I E Y,
S. P. WIELMOZNEGO IEGOMOSCI PANA,
A N D R Z E I A S C I B O R A

Z CHEŁMU

C H E Ł M S K I E G O,

Chorażego Sandomirskiego, Pułkowniká Woyłk I. K. M.
Zálosney Małżonce.

C Not różliczności w wszelkich ozdobiona
 Cna MARYANNO, iestś przerażona
 Śmierci grotem; Gdy obrotem
 Śmiertelności, Do żałości
 ANDRZET Ci przyczyna.
 Zawistne Párki z OSTOI dobyły
 Mieczá, którym Ci serce przerażity;
 Wielka rána Dość zádána,
 Co nie broczy Krwia, lecz oczy
 Zobsita tza ptyna,
 Stráciłás Meżá cále Marsowego,
 Z kad strumień ptynie lámentu gorzkiego:
 Z tego zdroiá Muzá moiá
 Pioro moczy, Smetne toczy
 Przy grobie Kánzony.
 Zá nic Kástalle, zá nic Hypokreny;
 Wsytko w żalobne obráca sie treny:
 Smutne pienie, Gdy strumienie
 Lutnia topia, Łzámi kropsiá
 Apolliná strony.
 Przyimies, nie bedzie choć nic łagodnego,
 Co śmierć przyniosła Matżonká Twoiego:
 Niech ci stódzi Ten, co rodzi
 Wesołości, I rádości,
 Wdzieczniejszye mutety.

PROGNOSTYKI,
Z Zaćmienia
XIEZYCOW HERBOWNYCH,
ICHMOSCIOW PANOW SCIBOROW
CHEŁMSKICH.

I.

O Krutne Párki wielka frogsć wywieráia,
 Gdy ręce ná Herbowne Xiężyce ściagáia;
 Kiedyc Zaćmienie lásney spráwiły OSTOI,
 Toć się nic przed ich złościá wcale nie zostoi.

II.

II.

Xięzycę się w Pełni zaciął, toć żale rokuie;
 Y lzy obfite komuś wyprognostrykuie:
 Wászá to CHEŁMSCY żalóść, Wam się ferce kroi;
 Gdy ANDRZEY ná żalobnym Kátáfálku stoi.

III.

Blády Xiężyc deszczámi, suche polá skrapia,
 CHEŁMSKICH Xiężyc iągody dziś łzami zátapia;
 Przyczyná tá Potopu snadz wielkiego byłá,
 Ktora Xiężycę rózem dwa bláde stáwiłá.

IV.

Pewnie okrutne fátá swa kofę stráciły,
 Kiedy z OSTOI Mieczá ná pokos dobyły;
 A cosz też w tey potrzebie spráwiły godnego?
 ANDRZEIA ná Kátáfálk złożyły CHEŁMSKIEGO.

V.

Iużes Bellono krwáwa moc wláсна stráciłá,
 Kiedyś obośiecznego mieczá utápiłá:
 Okrutná śmierzć orężá gdy się chwyta tego,
 Smiele się do Bráterstwa przyzna Márłowego.

VI.

Iáko Rycerstwó Polskie żalęm się kroicie;
 Gdy w ręce Libitiny miecz goły widziacie:
 Odważná śmierzć zuchwále, bez bráku żadnego;
 I wyzwie, y przełamie by náy mężnieyszego.

VII.

Cmi się Mieśiac gdy ziemiá przed Słońcem go kryie, [▲]
 Zaciął się CHEŁMSKICH Xiężyc, gdy ANDRZEY nie żyie
 Spieszac do Niebá przed nim swe ciáło postáwił,
 Zkad żalobne Zacięnié w CHEŁMSKICH Domu spráwił.

VIII.

Czemu śmierzć w Márłowych mu ogniách folgowałá?
 Czemu záiadłóść swoię długo pokrywálá?
 Przestrzegłá okrucieństwem Rycerzá Wielkiego
 Kiedy tám SAMVELA zdiádziłá CHEŁMSKIEGO

IX.

Nierozfadná Láchesis zleś rękę ściagnelá,
 Kiedyś iásne Xiężycę żaloba pokryłá;
 Bowięm laskáwe Niebo snádno to nádgradzi;
 Gdy Bráći iásná cnotá oneż wypogodzi.

[▲] *Eclipsis Luna est interpositio terra inter Solem & Lunam.*

X.

X.

Pobráłás Bráći, przecię Xiężycę iásniály,
 Y światło swe po całym świecie rozsiewály:
 Oddáiesz teraz Bogu ANDRZEIA CHEŁMSKIEGO,
 Niezgásiłz iednak światlá tym Xiężycowego.

XI.

Zyie OBOZNY, wielka obroná wolności;
 W ktorego sercu Pállás uzbroiona gości;
 Potrąfi mądrosć lego, by, ktorás zácmitá
 OSTOI CHEŁMSKICH iásność nigdy nie ginęlá.

XII.

Niewieleś śmierci twoia złościá dokuczylá,
 Lubosć włafny miecz CHEŁMSKICH ná nich obrociłá;
 Ieszcze ná ALEXANDRZE takim tu nie zbywa,
 Który odważnie tego oręza dobywa,

XIII.

Nie mogłes umrzeć wielki ANDRZEIV, bo Cnotá
 Krewnych Ci do wieczności otworzylá wrotá,
 ANDRZEIA Brátá Imię Tobie stryiecznego,
 Pewnie Cię czynić będzie tu nieśmiertelnego.

XIV.

Zowiedz się śmierci! rzeczy ostatnia linia,
 Czémżeś dwoiáka teraz zácmitá Cynthia;
 Mniemasz iżeś OSTOIOW światło zakończyłá?
 Niedufay; nigdy w Domu Tym ciemność nie byłá.

XV.

Smierć gdyz ciałem rozłącza ANDRZEIA CHEŁMSKIEGO,
 Drogę mu do miéjszkánia toruie gornego;
 Wiá tom iey dobrze, Xiężyc bogo tam kierował;
 Kiedy inu do wszelkich cnot drogę pokázował.

XVI.

Raczej zawistne Pácki pewnie tego chciály,
 Aby w biegu Xiężycę swym zátámowały;
 Fortuná w to przyjazna dawno potrąfiłá,
 Kiedy w Dom BIEGANOWSKICH Cynthia wstapilá.

XVII.

Bięzą chwalebna wielkich cnot! droga Xiężycę,
 Láchefs ná kres życia swe ostrzy, nożyce;
 Przecina drogę, ANDRZEY aż przy mecie stoi:
 Kto tak żył, żeby zbłądził niechay się nie boi.

XVIII

Pędza zwyczajnym biegiem Xiężyce zácmmione,
 Ná miejsce odpoczynku dawno náznáczone;
 Ktorem gdy Muzá okiem smętnym ássystuie,
 ANDRZEIA goszczacego w Niebie vpátruie.

XIX.

Przeświętni SCIBOROWIE, częm się w łzách topicie?
 Gdy nád żáłosnym grobem ANDRZEIA widzicie;
 W niebie gości, ciało tu ziemi zápisuie;
 A sławę nieśmiertelna wšzytkim Wam leguie.

XX.

Stráśzna śmierć, ná Xiężyce co się obruszylá,
 Ná wšchodzie czyli pełni one záskoczyłá?
 W pełni sa, y ná wšchodzie; bo ANDRZEIA czyny,
 I męstwo, y odwagá, sa tego przyczyny.

XXI.

Okrutne Parki CHEŁMSKICH mieczá dobywáia,
 Czym MARYANNO serce Twoje zákrwawiáia;
 Smierć igra, á Twe serce žalem się rozplywa,
 Gdy wiecznie Chorażego Małzonká pozbywa.

XXII.

Doznáłás MARYANNO tyráństwá wielkiego,
 Trácac zlámentęm ciężkim poł sercá Twoiego;
 Łzy toczyš gdy Xiężyce žalobá pokrywa,
 Poprzeštań: wšzak po chmurách piękna iásność bywa.

XXIII.

W coš tę fatá zawistne srogość obroćicie,
 Ktora smutne zácmmienie Xiężycom czynicie?
 Fortuná odpowiáda, że tá złość szalona
 Pozorem szczęśliwości będzie nádgrodzona.

XXIV.

Iásne Xiężyce nášzym oczom ustępuia,
 I przy śmierci ANDRZEIA w iásności szwánkuia;
 Což z tákowey odmiány nowego się rodzi?
 To, że w Dom szczęśliwości ANDRZEY CHEŁMSKI wchodzi!

XXV.

A kiedy te w iásności Miešiacie blednieia,
 Záłosnych łez potoki obfite się leia;
 Z ktoręmi Vrania kiedy się zláczyłá,
 Swoie w gorzkim potoku pióro utopiłá.



XVIII

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

XIX

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



2. XIX. 42

Biblioteka Jagiellońska



stdr0016730

